Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Morbio 23 (74)

IN NOMINE Sancte et individue Trinitatis patris et filii et spiritus sancti amen. Anno nativitatis domini nostri Jhesu Christi millesimo quadringentesimo octogesimo quarto, indictione secunda
die primo mensis octobris, actum in loco Sanctigeorgii Montisferrati videlicet in domo communis ad bancum iuris, presentibus magistro Gulielmo de Candia sartore cive Casalis et Bertolino filio Ambrosii
de Ulmo de Blanzate, testibus notis et idoneis, ad infrascripta omnia et singula vocatis et rogatis, ac in presentia nobilis Gulielmi Bersani de Ozano castellani dicti loci Sanctigeorgii ibidem sedentis
pro tribunali, in quorum et mei infrascripti notarii presentia. Constitutus Stefanus Olarius filius Jacobi civis Casalis ibidem, pro se et suos heredes et successores quoscumque, non vi dolo metu fraude blandiciis
nec aliqua machinatione seductus, ut ibidem protestatus fuit, sed sponte et ipsius certa scientia libera et franca voluntate, dedit vendidit et tradidit, ac dat vendit et tradit spectabili domino Antonio
Guiscardo filio Johannis de Blanzate marchionali secretario ibidem presenti pro se et suis heredibus et successoribus quibuscumque stipulanti et recipienti apothecam unam solaratam et cupatam sitam in
civitate Casalis in cantono Lanii, cui coherent heredes quondam Gulielmi Ranen, dictus venditor et via communis, et si alie coherentie sint non obsit. Ad habendum tenendum et possidendum, et quicquid dicto emptori
et suis predictis deinceps perpetuo placuerit faciendum, cum omnibus et singulis que infra predictos continentur confines vel alios si qui forent, accessibus quoque ingressibus et egressibus suis usque in
vias publicas, et cum omnibus et singulis que dicta apotheca ut supra vendita habet supra se intra aut infra se in integrum, omnique iure et actione usu aut requisitione sibi venditori aut ipsi rei
spectantibus et pertinentibus. Et hoc pro pretio et nomine pretii florenorum quatuor centum mediolani ad soldos triginta duos imperialium pro floreno. Quos quidem florenos quatuorcentum dictus venditor
coram me notario et testibus suprascriptis fuit confessus tantum et contentus habuisse et recepisse, computatis tamen florenis ducentum et aliis rebus antea habitis ab ipso emptore, ut ibidem dixit et
protestatus fuit, renuntians exceptioni non numerate pecunie, ac non habitorum non receptorum non solutorum non numeratorum et eidem non traditorum dictorum florenorum quatuorcentum et aliarum rerum usque ad summam integram
suprascriptam. Quam quidem rem ut supra venditam dictus Stefanus venditor se nomine et vice dicti domini Antonii emptoris tenere et possidere constituit, donec de ea corporalem et actualem acceperit
possessionem, quam accipiendi et apprehensam retinendi deinceps corpore et animo dicto emptori ibidem presenti et acceptanti licentiam omnimodam contulit ac dedit, ac confert et dat. Necnon promittens
dictus venditor pro se et suos heredes et successores predicto domino Antonio emptori ibidem presenti et stipulanti ut supra de dicta re ut supra vendita seu parte ipsius litem questionem causam seu controversiam
sibi vel heredibus predictis ullo unquam tempore non inferre, nec inferenti consentire. Ymmo ipsam rem ab omni persona et personis cum collegio et universitate legitime defendere auctorizare disbrigare
et manutenere, vacuamque et expeditam possessionem eidem tradere et eundem certis aliis facere potiorem, omnibus et singulis sumptibus et expensis dicti venditoris usque ad summam predictam. Que
omnia et singula suprascripta dictus venditor promisit et iuravit ad sancta dei evangelia corporaliter tactis scripturis in manibus mei notarii infrascripti, quia minor erat etatis annorum viginti quinque
maior tamen decem septem ut asserebat et ex aspectu sui corporis apparebat, predictam venditionem ac omnia et singula in presenti instrumento contenta semper et perpetuo habere et tenere ratam firmam et
gratam, rata firma et grata, et nunquam contrafacere vel venire pro se vel alium seu alios aliqua ratione modo vel causa de iure vel de facto, sub refectione et restitutione omnium et singulorum damnorum
expensarum et interesse litis et extra, que et quas proinde dictus emptor et sui ut supra fecerint sustinuerint vel substinerent, in iudicio sive extra, de quibus sibi credere promisit solo simplici
et nudo verbo ipsius emptoris et suorum ut supra sine testibus et sacramento iudicisque taxatione et qualibet alia probatione. Et pro predictis omnibus et singulis firmiter attendendis et observandis dictus
venditor omnia eius bona mobilia et immobilia presentia et futura dicto emptori ut supra recipienti pignori et ypotece obligavit et ypothecavit, ac obligat et ypothecat. Renuntians beneficio minoris
etatis, ac exceptioni doli mali vis metus et in factum actioni conditioni indebiti sine causa ob causam et ex iniusta causa, et omni alii exceptioni defensioni et iuri quibus contra premissa seu aliquod
premissorum facere vel venire possent seu vellent. Quibus omnibus et singulis prefatus nobilis castellanus, sedens pro tribunali ut supra, ad maiorem roboris validitatem et corroborationem omnium et
singulorum premissorum suam auctoritatem interposuit pariter et decretum. Preceperunt dicti dominus Antonius emptor, Stefanus venditor et castellanus, per me notarium infrascriptum fieri publicum
instrumentum et plura dictamine sapientum eiusdem tenoris si fuerint requirendum.

Ego Dominicus de Gattis de Cassinis civis Casalis publicus imperiali auctoritate notarius ac marchionalis cancellarius, predictis omnibus et singulis dum sic ut premittitur agerentur presens
interfui, et ipsum instrumentum michi fieri iussum rogatus scripsi et me subscripsi, cum appositione soliti signi mei tabellionatus in signum robur et testimonium veritatis omnium et singulorum
premissorum.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-187213453X-16/fragment/page=0001
DFG

Morbio 23 (74)

Instrumentum emptionis d. A. [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] emptionis [illegible] [illegible]
Sephere

1484. 1/X

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-187213453X-16/fragment/page=0002
DFG